



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCXLVII. ad annum CCCCI.

Parisiis, 1644

III. Vt clerici & sanctimoniales feminae cum extraneis viris vel feminis non habitent.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15256

III.

ANNO
CHRISTI
348.

Gratus episcopus dixit: Et illud præcipue, si videtur vestræ dilectioni, cauendum est, vt pastoris cura, quantum debet & potest regularis prouidentia, præmoneat, vt nullis liceat, ab affectu abstinentibus carnali, apud extraneas pariter commorari. Occasiones enim amputandæ sunt peccatorum, & tollendæ omnes suspiciones, quibus subtilitas diaboli, sub prætextu caritatis & dilectionis, incautas animas vel ignaras irretire consuevit. Nullus igitur, nullaque sanctimonix & virginitati deseruiens, propter blasphemiam ecclesiæ, si vobis placet, in vna domo cum extraneis penitus commorari debent. Vniuersi dixerunt: Qui nolunt nubere, & pudicitix meliorem eligunt partem, hæc vitare debent. Et non solum non habitare simul, sed nec habere ad se aliquem accessum. Hoc ergo & lex iubet, & sanctitas vestra commendat, vt in singulis Conciliis statutum est. Gratus episcopus dixit: Ergo persuasio interdum prudentes solet arcere a peccatis, dum imprudentes debet metus huiuscemodi constringere, si sanum consilium respuunt, & salutare mandatum. Si ergo laici sunt, post commonitionem, si contempserint, a comunione separentur. Vniuersi dixerunt: Placet.

In Concil.
Arelaten. 1.
cap. 3.
Et in Nicæ.
cap. 3.
Et in Eli-
ber. c. 27.

IV.

Gratus episcopus dixit: Etsi infinita sunt, quæ lege præscripta, proficientia sunt disciplinæ, & vnusquisque nostrum tractatu assiduo & commonitione frequenti, per singulas quasque species proficientes ad disciplinam, poterit populos inuitare;

tamen